

*Magnanimus sacro Rex delibutus olivo,
 Quo Deus Angelicis manibus virtute parato
 Divina nostris concessit Regibus uti, &c.*

Atque hujus olei divinitate se quoque motum Pontifex Romanus confirmat, ut juxta cum sacerdotibus uncto Regi Galliaë utramque Sacramenti speciem non potuerit non concedere. Enimvero vanum illum prætextū esse, evincitur (1) à multis, qui cœlestem ampullæ missionem haud veram, sed scenicam esse, deductamque adeo ab illa omnem Franciaë dignitatem, nobilitatem, honorem, gloriam, majestatem & magnificentiam in undantis aquæ bullas resolvi contendunt, sane Joh. Jacobus Chifletius Eqves Regius, Archiatrorum Comes, & Serenissimi Principis D. Joannis Austriaci Medicus, cubiculi Primarius, piam fabulam vocat, & quanta infirmitate testimonia omnium seculorum, quæ pro ampullæ missione divinitus factæ allegantur, laborent, diserte & ex instituto demonstrare annititur peculiari, quam assertioni de Ampullâ Remensi opposuit, disquisitione. (2.) Quod si vero dispensationem merentur Galliaë Reges ob unctionem, quare idem suo jure non postulent atque impetrent Hispaniaë Reges, qui Gothorum aliorumque primævorum Regum suorum coronationem & inde deductam unctionem, cui (3.) æque singulare ac divinitus concessum oleum vendicant, urgere quoque possunt, unde quoque inter Galliaë & Hispaniaë Scriptores, maxime inter Blondellum in præfatione apologeticâ pro Gallis, & Joh. Jac. Chifletium in disquisitione de ampulla Remensi pro Hispanis Regibus annitentem, acerrime controvertitur, utri Regum suorum sacram hanc Ceremoniam prius habuerint. Quod quidem illis disceptandum relinquinus, non a. videmus, quare præcipue Regi Galliaë

Galliaë